

V I R O

MAGNIFICO ILLVSTRI

CONSVLTISSIMOQVE

ERNESTO MARTINO

CHLADENIO

IVR. DOCT. SER. ELECT. SAXON. A CONSILIS  
AVLAE AC IVSTITIAE DECRETALIVM PROF. PVBL.  
ORD. IVRID. ORDINARIO AC SENIORI SENATVS ECCL.

DIRECTORI CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS

ASSESSORI PRIMARIO

INSIGNIBVS DE OMNI R. P. MERITIS

FLORENTISSIMO

H. M. P

ACADEMIA VITEMBERGENSIS

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII





VIRI

Quod dudum metueimus, diuturno morbo Viri prorsus eximii grauique percussis, ne ille nobis eripiat, cui uitam quam longissimam exoptarimus omnes, hoc nunc, proh dolor, accidit, nosque in maximum luctum coniecit. Occidit enim Chladenius, quo nemo nostrum fuit aut optimarum artium studio, aut probitate uirtutum, aut ullo genere laudis excellentior. Cuius decessu quid quantumque amiserimus, quisque facile intelliget, proposita eius imagine, et, qua par est, admiratione conspecta. Hanc arte nitida expressit ipse in diatriba politissima, qua fuit ambitum elegantioris Iurisprudentiae dimensus, cum iuris clientelarum docendi munus capefferet, eiusque dignitate uiam sibi ad honores patefaceret ampliores. Hic cum pectus disertum fecit, omnes huius nobilissimae scientiae ueneres complexum, tanta accuratone ac suauitate, ut libellum, semel iterumque studiose lectitatum, hac occasione tristi data, uberrimo cum fructu reuocandum putemus. Namque Iurisprudentiae elegantioris effigiem ac simulacrum ex eruditione Chladenii ac uita informabimus, eo consilio, ut uos, *Ciues*, temporum siccitatem nostrorum ac ieiunitatem cum tanti Viri ingenio atque ubertate conferatis, huiusque aemulatione concitati, ad similem diligentiam gloriamque contendatis. sicut enim maior uis inest exemplis, in illustri positis monumento, quam praeceptis subtilibus, sic magnam in se uenimus, fore, ut haec rectorum pictura studiorum non minore uoluptate teneat oculos, quam mentes generosas ad honestatis imitationem inflammet.

Perfecti Iure consulti personam, Chladenio iudice, sustinet, quisquis leges interpretatur recte, atque ad causas et tempora, quae incidunt, prudenter accommodat. Quod quidem ipsa Iurisprudentiae natura, quae inter omnes constat, sine dubitatione firmat. Duo uero genera Iurisprutorum perfectorum cernuntur, quorum alii masculam, quam uocat ille, ac robustam, iuris scientiam tenent, alii student elegantiori. Illa notitiam sacerdotis iustitiae instruit ac uitam, haec simul ornat, atque, ut in summam conferam, tanquam frugifer ager, atque amoenus, utili dulce miscet, quo non edoceat solum, sed etiam delectet, cum nouitate, tum uarietate. Sic Iohanni Henrico Bergero perfectae Iuris prudentiae ac masculae decus nemo derogabit, qui uel solam uiri oeconomiam iuris legerit. Nihil enim praetermisit, quod accurata legum poscat interpretatio, nihil, quod usum fori inuuet. Chladenius autem cum singulari elegantia coniunxit accuratorem, et claris dicendi luminibus, ubicunque potuit, res illustrauit, non tam necessaria colligens, atque in uulgus nota, quam, quod ipsum nomen elegantiae iubet, amoenissima quaeque, et gratiae plenissima, apis instar, loquat cum poeta, floriferae, feligens. Quem dilectum tot uiri beati scripta in aperto ponunt, quibus honori iure duxeris, quod Bynckershoekius ipse sibi dat laudi, *nihil se data opera scripsisse, quod ante se occupauerit alius*, observationibus Iuris Romani praefatus. Nec uero satis uidetur, Iurisprudentiae uenustatem uniuerse, et tanquam e longinquo, uidere. Formam potius ipsam, et quasi faciem, per partes eundo, contemplerur, quo maior illius amor excitetur, et, quibus sit honoribus Chladenius prosequendus, inculentius

appa-



appareat. Fontem tam dulcis elegantiae igneus aperit ille ingenii uigor, siue uox haec laxius intelligatur, siue potestate afrietiore. Quam late pateat ingenium, Tullius bene praecipit (de Fin. V. 13.) mentis uirtutibus in duo genera distributis. Vno continentur eae, quae ingenerantur suapte natura, appellanturque non uoluntariae, altero eae, quae in uoluntate positae, opera atque exercitatione comparantur. Ambas communi uinculo iuris artífites confringit, ad elegantiae, numeris omnibus absolutae, fastigium quoties contendit. Ad prius genus docilitas, memoria, iudicium, pertinet, uno ingenii nomine comprehensa, easque dotes qui habent, ingeniosi uocantur. Praecipue tamen hac appellatione facultas notatur rerum similitudines sollerter obseruandi, quam ob causam translatio principatum troporum tenet, poetae uero, pictores, statuarii, aliique consimiles artifices, ingenii decus suo sibi iure uindicant. Accedit fingendi celeritas, sensibus percepta usque eo commutans, donec noui quid atque inauditi nascatur, quod omnes in admirationem rapiat. Quae cuncta labore solo non parantur, sed coelesti dono a parentibus, uelut hereditate praestantissima, accipiuntur. Neque Chladenio defuit nostro natura fauatrix, ab illis oriundo, quibus meliores desiderare non poterat. E patre enim genitus in hac urbe fuit, tot meritorum tantorumque, cum de ciuitate Dei, tum de hoc Musarum domicilio, ut ea nulla sit unquam obliuio ex animis nostris deletura, *Martino Georgio*, Chremnizensi primum in Hungaria sacerdote, post Theologo nostro, academici templi sacris praeposito, ac Senatus sanctioris affessore, matre *Charitate*, *Iussi Siberi*, sacerdotis Schandauiensis, filia, anno huius saeculi quinto et decimo, VIII. Eid. Aug. undecim liberum postremus. Matrimonium tam felix patris obitus maturior dissoluit, ac filiolum uix annorum decem coniugi reliquit educandum. Huius cura tantopere uigilauit, ut, quod de Leysera gente sermone tritum quondam fuit, degeneraret nemo, ipsaque cum Sempronia, Gracchorum parente, haec ornamenta suo iure omnibus ostentaret. Natu uero minimum hoc magis in sinu oculisque tulit, quod celeriter, quae tradebantur, arripuit, arreptaque memoria tenuit fideli. Idem, quid uerum falsum, pulchrum desorme, aptum ineptum, esset habendum, sagaciter sensit, eaque iudicandi perspicacia, eo gustu acri, quem Quinctilianus arte negat tradi, fundamenta Iuris prudentiae iocit urbanioris. In primis autem, fabulis fictis caeterisque imaginibus delectatus, conuenientiam rerum ac discrimina crebra animaduersione perspexit. Quae diligentia quam prospere illi successerit, nitido probauit exemplo, in libello, supra commemorato, Astraeam cum Themide comparans ex historia fabulari, ut, differentia utriusque cognita, Astraeam masculae, Themida elegantiori iuris prudentiae, respondere, constaret. Ducem habuit ac socium studiorum amoenitatis adeo liberalis, quod in uitae cursu laudat ipse, Ioannem Martinum, fratrem, Erlangenem postea rerum diuinarum doctorem, in quibus quantum hic profecerit, e scripto, quod de libris sententiosus, quos Galli uocant ourages d'esprit, edidit, satis superque apparet. Namque ex interiore animi natura, in quo situm sit acumen sententiae, quibus subsidiis concilietur, data opera, peruestigat. Sic ab natura instructus Chladenius, primaque educatione, facilius fuit leporem iurium doctrinae consecutus. Indoles, ad accipiendum prompta, materiam collegit, memoriae bonitas seruatum recognouit, uis iudicandi habuit dilectum, foecunditas ingenii formarum uicissitudines suppeditauit.



Sed ingenium, uel praestantissimum, minus per se ualet, nisi ratio doctrinae conformatioque accesserit, cum nitore literarum. Illa regit impetum naturalem, ac iuuenilibus annis nimis luxuriantem moderatur, hic copiam rerum sententiarumque largam praebet, quibus collustrantur obscuriora, grauiora condiantur, exemplis praesertim magnificis ac splendidis ad parem gloriam consecrandam impellit. Iureconsultus igitur, elegantiae studiosus, sicut frugifera disciplina limatur, sic artium, quae decent hominem, carere apparatu locuplete nullo modo potest. Sapienter tamen noster elegantioris iurisprudentiae arbiter monet, haec praesidia sola tantam dignitatem non perficere. Catonem, in iure ciuili peritissimum, disertum, sapientia, prudentia consilioque praeditum, optimi cuiusque sermone celebrari. nihilo tamen fecius Vlrico Hubero uirum quidem *seueritatis antiquae, sed ab omni elegantia, cultuque amoeniori, pene morose alienum, uideri.* Relinquitur, ut, quod de poetis, omni concinnitate politissimis. Horatius persapienter pronuntiat, in urbanitatem quoque Iuris periti cadat (de arte poet. u. 409 sqq.) studium sine diuite uena parum potest perinde, atque ingenium rudo, altera res alterius possit opem, amiceque coniurat. Sed quorsum disciplina pertineat, nemo Cicerone uerius breuiusque tradidit. (de Orat. II. 56.) *Ego, in his praeceptis hanc uim, et hanc utilitatem, esse, arbitror, non, ut ad reperendum, quid dicamus, arte ducamur, sed, ut ea, quae natura, quae studio, quae exercitatione, consequimur, aut recta esse confidamus, aut praua intelligamus, cum, quo referenda sint, didicerimus.* Iam, cum Chladenio felicitas contigerit ingenii, cum magistrorum diligentia ac fides in eo perpetuando certarit, cum totus se ad Musas omnes contulerit, ad diuinioris iurium scientiae templum non aspirauit modo, sed etiam ingressus illud, tantum percepit uoluptatis, quantum nomen ad omnem posteritatem propagauit. Ineuabula posuit ac rudimenta eruditionis uirtutisque duodecim circiter annos natus, in schola Portensi, alumna tot ingeniorum, in omni re publica cum laude uersatorum. Sed caeteris praeceptoribus omnibus antefert Freytagium, docendi nauitate, prudentia scholae regundae, laetioque discipulorum prouentu, perpetuam famam consecutum. Huic quid noster acceptum referat, ipse, uitae rationes suae percensens, nobis exponat. *Si qui sunt in prorsu uorsaque oratione, cum Latiali, tum Attica, profectus, si qua priscorum rituum cognitio, plurimum eius institutioni me debere, gratis agnosco.* Viguit enim tum uirilis ratio ac seuera, non ludendi cum pueris, aut ab eorum captu remota iactandi, uanitate ridicula, sed elementa Grammatica cum cura tradendi, haec ipsa legendis Graecis scriptoribus Latinisque in succum et sanguinem uertendi, poetarum quasi spiritu asslandi mentes, et, quicquid in uetustatis thesauris latet, in lucem aspectumque proferendi. Quibus adductus commodis, sane quam iucundis, ille non, breui interuallo interiecto, rursus auolauit, pectus nondum satis praeparatum reportans. Sexennium potius emensus fere, atque opibus honestarum artium, praedicationibusque doctorum cumulatus, in patriam reuertit. Ibi in ampliora spatia delatus, assiduitate nunquam remissa, decurrit. Interiores primo literas tractauit, atque ab Hollmanno, tanta iam tum nominis gloria nobilitato, quanta adhuc senectutem illuminat, singulas philosophiae partes accepit, persuasus, sine hac omnium artium laudandarum procreatrice elegantiam quamcunque fucio magis fallace, quem pulchritudine naturali, splendere. Audiit quoque Mayerum, Mathematicum postea Grypswaldiensem,

com.



communi secum domo coniunctum. Matthesin uero Hasius ac Weidlerus, immortalis uiri celebritatis, transdiderunt. Neque enim cum Baylio, facilius gryphes equis iungi, censuit, quam cum disciplina hac austera artes ingeniosas. Cuius iudicii temeritatem uel folius Leibnitii, multis illi documentis spectata, mentis capacitas frangit. Sed praeter caeteros Bosium dilexit, et recondita eius doctrina, et bibliothecae selectae copiis, et consuetudinis hilaritate, motus. Is explorator naturae huius interiores recessus nostro nudauit, experimentis institutis lectioribus, et quotidiano conuictu in familiaritatem penitus intrauit. Cognitio uero philosophica fundamento destituitur, historia nisi fulcitur. Haec non leges solum moresque populorum commemorat, sed etiam rationes, cur placuerint ea, et consuetudinem ceperint exercitationemque, saepius aperit, ad masculam Iurisprudentiam magis locupletandam. Elegantior autem plurima inde colligit ornamenta, siue rerum grauitas exemplorum innumerabilium illecebris leuatur, siue nouis obseruationibus occasio datur idonea, siue uitae humanae mirabilibus conuersionibus peruulgatarum fatietas doctrinarum pellitur. Tot emolumenta Chladenium mox ad Ioannem Guilielmum Hoffmannum rapuerunt, res omnibus temporibus gestas, ingenti auditorum frequentia, ac flumine dicendi incredibili, renouantem. Praecipue uero, huius ductu, uicissitudines Iuris scientiae perdidicit, et cum Iure publico notitiam rerum, ad Germaniam Saxoniamque pertinentium, semper coniunxit, eiusque librorum suppellectili copiosissima usus, nihil acerbius luxit, quam uirum tanti splendoris, ac magnitudinis tantae, instar floris, pulcherrime uirentis, decidisse. Nunc ad ipsa iuris penetralia conuersus, mystagogos habuit horum sacrorum principes, a quibus utraque fuit Iurisprudentia initiatus, et quos nominasse satis est ad posteritatis existimationem. Brokesium, Albinum, Crellium, Wernerum, Krausium, Patrem Filii, cuius decoribus inuidia uel acerriima obtusescit, Menckenium, Bastinellerum, Leyserum. Sed, memor elegantiae studiorum, Leysero et Crellio primas dedit. Hic, quicquid antiquitas pulchri continet, ad iusti atque iniusti intelligentiam contulit, ille, inexhausta auiditate legendi, fertilitate ingenii iudiciiue acumine apte digesta, usu tritis conciliauit gratiam, atque ius aequo artificiosissime temperauit, memoriam perennem promeritus. Quid uero prodest, optimos nobis, omniumque uiarum naros, duces praecire, eorum nisi uestigia incitato gradu persequamur. Tali affectus animo Chladenius nihil praetermisit operae, qua artis tristitia mitigaretur. Primo linguas, homini necessarias erudito, praemuniuit, Graecam quoque, quam plurimorum, qui in legibus indagandis uersantur, torpor atque ignauia contemnit. Probe enim nouit ille, sine ea neque iuris origines, in Graecia quaerendas, inueniri, neque acui ingenii uini, neque rudem scientiae molem perpoliri atque absolui. Quanto felicis successit Latini sermonis intelligentia, cum Graeco propinqua cognatione coniuncti, artiumque liberalium, quibus elegantia Iurisprudentiae censetur, cultura. Neque enim statim Iureconsultus noster, prout nunc usu uenit, ad pandecten aduolauit, imo uero Cuiacii consilio paruit, Iuris ciuillis primordia ab legibus XII. tabularum capiendi, quo dulcius ex ipso fonte omnis publici priuatique iuris Romanorum, qua laude Linius (III. 34.) eas commendat, bibatur. Qua propter Iacobum Gothofredum, in quatuor fontibus Iuris ciuillis, diurna manu nocturnaue uersauit, partim ut legum sententiam perspiceret, partim specimen ornatoris Iurisprudentiae, quod imi-



tatione exprimeret, ante oculos semper haberet. Pari contentione per caeteras iuris omnis aetates progressus, quicquid in monumentis omnibus utilitate atque ornatu clarius exsplenduit, sedulo decerpit. Nihil me assentioni dedisse, quae uir summus publici iuris fecit, scripta uincunt, siue prima uolueris, siue postrema, attentius considerare. Primo prodiit ille in medium describenda aequitate praetoria, et complures ueterum monumentorum locos, tenebris inuolutos, in lucem prouulit, expectans subtimide, quid de hoc incepto conatuque senatus, humanitatis lautioris custos, censeret. Cuius expectationi cum satisfecisset, honorificis suffragationibus ad maiora tentanda prouocatus, gentilitatem Romanorum uestigiis omnibus indagauit, tanto cum plausu, ut, distractis cunctis exemplis, hanc nobilissimam antiquitatis partem maiori cura elaboraret, nouoque habitu indutam, gentis imaginibus Corneliae auget. Atque hunc delicatum gustum per omnia, quae reliquit, monumenta retinuit, partim a Weidlichio, in uicis hodiernorum Germaniae iuris consultorum, partim a Weizio, in Saxonia literata, plene enumerata. Eodem uel senectutem oblectauit, atque omnium nouissima commentatione ius applicationis discussit, quo peregrinus homo se in fidem ciuis Romani contulit, hic illum in clientelam recepit. Promiserat quidem Ernesti in clauae Ciceroniana, de hoc more se alio loco plura disputaturum, promissis autem non stetit. Quam quidem iacturam facile patimur, Chladenianis diuitiis instructi, nam, praefulta uaria in uariis populis aduenarum fortuna, et nomen applicationis, et ius ipsum, tam breuiter, quam fufus, enucleatur, patroni commoda, et clientis officia, dilucide expromuntur, origines ab Atheniensibus ducuntur, et, quid quantumque intersit inter ius applicationis atque albinagii, perspicue traditur. Adeo ius applicationis, quod ipse Cicero obscurum sane atque ignotum pronuntiat (de orat. I. 39.) iudicii subtilitate iuris periti nostri patefactum uidetur, atque flore ingenii ornatum. Nihil uero dulcius hoc iure applicationis, sub finem ad iuuentutem in academia literarum amantem accommodato, quae scientiae desiderio quasi exulet, applicet se ad publicos doctores, et, blando ciuium nomine imposito, honestissimis cum illis studiis, non sine uberrimo fructu contendat. Illius enim calluit ingenium, diu multumque exercitatum, artem, disciplinae elegantiam elegantiam orationis duplicandi

De qua praestantia non uulgari is breuiter quidem, sed neruose, praecipit. *arti per se morosae Latini sermonis maiestatem Iurisconsultus elegans circumfundit, et, communi illo scientiarum condimento, eloquentia, commendabile efficit legum studium.* Sed haec elegantiae linguae latius patet, rectamque eius conformationem postulat. Quid uero ab Latinis rectum uocetur, Gronouius ad Senecam (ep. C) in numero ponit. Vitia remoueantur omnia, uirtutes generum dicendi adsint omnes. Absit impuritas uocum peregrinarum, formularumque a consuetudine scriptorum probatorum alienarum, ac mundities, quam uel doctores elegantiae dicendi puritatem barbaram nuncupant, omni studio conferuetur. Exquisita praesertim Latinitas, a Vorfio, Vauassore, aliisque lectissimis exemplis monstrata, in morem perducatur. Semper cautio Caesaris apud Gellium (I. 10.) in memoria atque in pectore habeatur, ut, tanquam scopulum, sic insolens uerbum fugiamus, siue antiquatum, siue nouatum, nisi necessitas excusationem iustam habeat. Honestos oculos neque plebeia offendant, neque fordida, multo minus uaria scribendi permisceantur genera, aut compilatae e scriptis diuersissimis di-

ctiones



ctiones confuuantur. Maxima danda perfpicuitati opera, in qua nihil defit, abundet nihil, quaeque fuam cuique rei uocem tribuat, ufu uel populi, uel artificum, receptam. Cui elegantiae ftyle, tantum abeft, ut troporum, figurarum, concinnitatis, modestus ornatus obfit, ut fenfus animumque mirifice pafcat. Proinde Chladenius tantam fcientiae commendationem curae cordique merito fuo habuit, uociferationibus incultorum hominum non deterritus, de rebus, non uerbis, laborandum. Quafi uero res per uerba in mentem fe non infinuent, aut multae fcientiae partes aufterae uerborum copia non efflorefcant, aut non fubita conterantur obliuione libri, qui neque ingenio, neque iudicio, neque induftria, uacant, fed uerborum fordibus et caligine obruuntur. Contra ea Iurifconfulti noftri monumenta fempiternam gloriam ob rerum grauitatem utilitatemque, natiuo uerborum cultu decoratam, reportabunt. In quo quantum procefferit, commemorabili occasione, comprobant. Zalufcius, epifcopus Cracouienfis, magnum literarum hominumque literatorum praefidium, quinquaginta aureorum praemium propofuerat illi, qui bibliothecam fuam, folemniter dedicandam, uerbis difertiffimis collaudarit. Pretii tam munifici prius dimidium inter competitores LXXX. deportauit nofter oratione, de gentis Zalufciae oraculis, rei literariae aufpicatiffimis, Varfauiae in certamine literario recitata, addita mox gratulatione ad Sarmatas, de bibliothecae Zalufciae dedicatione, ipfa die Augufto in faftis facra celebranda, anno Saeculi huius XLVII. Quae facundiae documenta quoties expendo, toties foleo prudentiam Polonorum ingenio feruendi, falua Latini fermonis mundicie, admirari. Sed a Bergero, profeflore eloquentiae nominis adhuc celebratiffimi, facultatem fibi pararat, Hermogenis iudicio, in oratore summam, apte dicendi, cuius fcholas, in quibus peftus Tullianum e libris de Officiis nudauit, praeter caeteras, fecit maximi, propter copias puri fermonis Latini atque urbani, proprietatis praefertim, longe difficillimae, obferuationem, illius auctoritate e titulo de uerborum fignificatione commodiffime pernoscendae.

Tot tamque infignia decora non potuerunt non famam exiftimationemque, tam domi, quam foris, nancifci. Primo lauream Iuridicam Iureconfultorum collegium illi, quem digniffimum habuerat, tribuit, commentatione bonae frugis partam, de debitore delicato. Ordo uero Philofophorum eum magiftri honore, confcientia profectuum laudabilium non contempto, Decano Bofio, condecorauit, ac pofttea, fuffragante academia, nominauit Principi, qui in locum Hafii fuffectus, morum philofophiam iuuentuti, literis addictae, traderet. Sed altioribus muneribus ingenium tantae aenoenitatis prouidentia diuina deftinarat, ab ordine fuo pariter, ac tota focietate literata, Menckenio mortuo, etiam atque etiam Saxoniae proceribus commendatum. Quae commendatio fortunatum habuit exitum, ut confilio Iurisperitorum affeffor extraordinarius daretur. Neque ita multo poft, ordinarias partes doctoris iuris clientelaris, cum feffione ac fuffragio demandatas, fufcepit, Crellii quoque uicibus, luminibus orbati, in curia primum prouinciali, deinde in ordine ipfo, perfunctus. Iudicio quoque prouinciali inferioris Lufatae affedit, in confuetudine forenfi magis magisque exercitatus. Tandem ad focietatem fuam propius accelfit, institutionum difcipliniae praefectus, quam tanta nauitate gefit, ut, per omnes gradus fodalitatis fuae progressus, ad summum perueniret, caputque eius euaderet

CIDIDCLXIII,



sicut uirtus, suo firmamento ac robore confusa, facere solet, expectata. At tamen fama quoque uiri fuit ad externos perlata, quorum alii eius expecterunt operam, alii in consortium illum receperunt, alii alio genere honoris, quanto ab se numero haberetur, declararunt. Ita Grypswaldiensis academia prouinciam institutionis oratoriae obtulit, Kelmanno postea creditam, quod eius scriptorum natua pulchritudo illam ad se allegerat. Helmstadiensis autem semel iterumque ac tertium oratoris personam ac iurum doctoris imponere noluit, laudis relictis, et consiliarii aulici nomine, decoram. Nec spernendis conditionibus Gedanum, Gottinga, Marburgum, Hala, eum conciliare sibi studuerunt, sed numinis uoluntas hoc pignus nobis custodiendum statuit. Ecquid ad illius splendorem addi potuit inuitatione Braunii, liberi Baronis, et consiliarii imperii aulici, qui in hoc ipso senatu summo locum occuparet. Omnes uero diuitias, omnem nobilitatem, accipere pro patriae charitate, et familiaritate Musarum, noluit. Neque eum consilii poenituit, quod benignitas, Genti Augustae propria, damnum largiter compenlauit, ac perpetua Vitembergae in illum obseruantia. Societas autem Latina Ienenfis et Germanica, ac scientiarum Grypswaldiensis, honoris causa uirum bellis artibus florentissimum sodalem cooptarunt, neque Berolinensis academia scientiarum eiusdem honori defuit. Haec hominum doctorum diligentiam excitarat, ut, quousque arma Romanorum in Germaniam penetrarint, opera data, rimarentur. Quo facto Chladenius periculum simul fecit notitiae rerum gestarum, missa dissertatione de potentatus Romani ultra Rhenum et Danubium uestigiis, lauro quidem non coronata, digna tamen existimata, quae commentariis academicis infereretur. Hamburgensis praecipue senatus prolixam in illum uoluntatem significauit, per Fabrum, Syndicum, numo pacis Westphalicae saeculari donato. Huius enim memoriam redintegrarat in hoc artium domicilio noster, edita diatriba de abusu Bullae Brabantinae, atque oratione solempni, in qua, pacem hanc plane inter exempla haberi, non minore rerum ciuiliu prudentia, quam ui dicendi, firmauit, anno saeculi XLVIII. IX. Kal. Nou. Zaluscus denique princeps binas ad ipsum literas dedit, sua manu exaratas, neque modo, quantum uoluptatis et studio ceperit Gentis suae gloriam aeternitati commendandi, indicauit summa comitate, sed monuit etiam, numum, grati animi testem, esse memoriae uicariae dignitatis, anno XLV obitae, consecratum.

Sic in honoris aedem per templum uirtutis uiam sibi munuit uir honestissimus. neque enim Iuris prudentiae elegantiam, et conuenientiam actionum, res ipsa natura copulatas, separauit unquam, siquidem literae, sine quibus Iuris cultor elegans dignitatem tueri non potest, mores emolliunt, ac feritatem depellunt. Vitae uero totius apta conformatio quanta iucunditate permulcet. Quo minus ille dubitauit in sententiam Aemilii Ferreti discedere, *perfectum Iureconsultum non esse, nisi et uirum bonum.* Cum illo igitur orator laudem communicat, in quo non dicendi modo eximiam facultatem, sed omnes animi uirtutes, exigit Quintilianus. Sed uiri nomen boni plura maioraque complectitur, quam plerique putant. Vitiis praesertim dulcibus hic se abstinet, cunctaque officia, siue hominis, siue ciuis, studio nunquam remisso, praestat. In uitis primum dat locum Chladenius superstitio, atque assentationi. huic finitimae, ab Leysero in libellis singularibus reprehensis. Hunc ille secutus, minus recepta uocis potestate, superstitiosos dicit, quotquot aliorum dictis strenue et mordicus inhaereant. nam, sicut



sicut philosophi in contrarias scinduntur partes, sectatorum frequentia stipatas, sic idem coecus amor alienarum opinionum, inde ab Augusto, iuris disciplinas incescit. Cum uero nouitatem iurisperitus elegans admet, quo maioribus plausibus excipiatur, Chladenius neque Carpzouio se totum dedit, neque Thomasio, neque aliis quibuscunque, Horatiusque monito, omnis in hoc fuit, ut, quid iustum atque aequum, curaret ipse, et condita, quae mox depromeret, suo Marte componeret, nullius magistri in uerba iurans. Pari grauitate ab assentatione illius animus abhorruit, quae, ut ipsius finitione utar, *quicquid agit, eo dirigit, ut aliorum fauorem et gratiam, uel foedo obsequio, emergetur.* Huius imaginem turpem apud Plutarchum, de discrimine adulatoris atque amici, conspicio nunquam, quin tantam gentis humanae pestem intime perhorrescam. nihil enim ista humilium, nihil liberali Iurisconsulti ingenio magis aduersum. Saepe quidem, ut quisque abiectissime adulatur, ita ducitur elegantissimus, nec raro uanitas ueritatis honores occupat. At, praeter opinionem, maiori cum dedecore, e suis tenebris extrahitur, quod nihil est simulati stabile ac diuturnum. Quanto seuerius noster fidem uerumque coluit, ne ioco quidem mentitus, ac probe narus, iusticiam, qua nihil sanctius, perueri, siue interpret iurium partibus, siue caussarum patronis, siue iudici, in primis summo, blandiatur. Itaque Ciceronis illud e memoria nunquam dimisit, *totius iniustitiae nullam capituliosorem esse, quam eorum, qui, cum maxime fallant, id agant, ut uiri boni esse uideantur.* (de Offic. I. 13.) Sed cultus Iurisprudentiae plures habet cautiones. Euitat lites de uerbis, ualde quidem illas inficitas, neque tamen, ut Leyserus de Logomachiis in iure monstrauit, infrequentes, propter iusti contentiorem atque aequi, uocum formularumque ambiguitatem, obseuritatem cogitandi ac dicendi hominum disputantium, inficitiam linguae, uerba detorquendi astutiam, ut caeteras causas silentio praeteream. Maiori flagrat odio in contentiones, in quibus a conuiciis res ad manus uimque pugnantium progreditur, quasque exemplis fere incredibilibus hic ipse Leyserus, de pugnis Iurisconsultorum, in aspectum protulit. Declinat etiam ab legum coaceruatione ac testimoniorum ambitiosa, nihil saepe efficientium, saltem cum fastidio lectores retardantium. Sed potissimum sibi a morositate cauet obstinata, quae consuetudine studiorum in bibliothecam abdita, ab hominum societate recedit, ac, sibi ipsi inuisa aliisque, rebus etiam minimis offenditur, cum Pythagoraeis statuens, qui bene latuerit, eum bene nixisse, ut ad Timonis austeritatem, quam Iurisperiti humanitatem, propius accedat. Nihil huiusmodi inepiarum in Chladenii uita deprehenditur. Omnes quidem controuersias subterfugere non potuit, ut de Senatusconsulto tacito, respondendi uero modestia, atque uberiore caussae tractatione, certamen mox finit. Equis ab illius tam placida indole, tamque tranquilla, uiolentos impetus expectet, Marti conuenientiores, quam Themidi blandae, ac Musis mansuetis. Testes si citauit ex omni laucioris eruditionis genere, dilectum habuit eorum, neque illos numerauit, uerum suis ponderauit momentis. Tametsi, negotiorum multitudine ac magnitudine sine intermissione distentus, hominum coetus et celebrationes obire non potuit toties, atque amico-



rum conuictu interesse, quoties fuit omnium uotis desideratus, tamen, cum iusta fuit causa cessandi, uultus hilaritate, ac uenustate colloquiorum, gratiam insignem tenuit

Neque uero ad uiri boni cognomentum, cum Iurisconsulti elegantis ornamento copulatissimum, sufficit, a malorum contagione seuocari. Concurrat oportet uirtutum chorus, quibus animos aliorum deuinctos teneat aequae, ac uoluptate humanissima compleat. Longum foret, illum totum in conspectum producere. Decora modo generosiora, quibus beniuolentiam communem noster meruit, delibabo. Primas merito benignitati defero ac liberalitati. Quid enim illa naturae humanae accommodatius, quid ad omnium fauorem excitandum alendumque magis idoneum. ad societatem enim naturali ferimur impetu, mutuaque nos indigentia, ut unus alteri opituletur, compellit. Sed hanc beneficentiam misericordiae imitatio diuinae in summo honestatis gradu collocat, de hominibus etiam ingratis quotidianis beneficiis optime promerentis. In eandem imaginem Chladenii fuit animus semper conuersus, diem, quo non benefecerit, se perdidisse ratus. Quot homines egentissimos nutriuit ille, quot nudos uestiuit, quot a fortuna afflictis prima ingrediendi uitae generis adminicula sumministravit, Aristoni par, priuati iuris ac publici peritissimo, cuius *animi magnitudo nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam retulit, recteque facti, non e populi sermone mercedem, sed e factio, petiit.* (Plin. I. ep. 22.) Quo luctuosior miserorum multis eius discessus accidit, funus lacrymis effusus prosequentibus. Plurimum feracior uirtutum uiri tanti uiuendi modus reperitur, tam doctoris academici ac iudicis, quam patris familias. namque modis omnibus consuluit, quid in academiae, matris suae, rem esset. Iuuentutem, in iuribus percipiendis occupatam, assiduitate docendi ac fide sibi adiunxit, ut libenter ex ore eius penderet, in publico maxime iure et canonico, quas partes munus sibi proprias uindicauit. Nominis non minus sui, quam huius Musarum domicilii, amplitudinem pluribus scriptis atque selectis sparfit. Decies ordinis sui Decani, ac semel iterumque Rectoris partes egit, omnemque dedit operam, ut egregium publicum, quibuscunque posset rebus, saluum atque incolume praestaret, disciplinae cum primis sanctitate, qua dissoluta, res perinde literata, ac militaris, dilabatur, teneras mentes in officio contineret. Utilitatis curas communis Senioris prouincia intendit, tanta moderatione administrata, ut non aetatis, quae per se nihil dignitatis habet, inflaretur arrogantia, sed prudentia consilioque caeteros anteederet, quo modestior in suffragiis ferundis, hoc omnibus probator. Quanta collegas, sibi propiores, obseruarit concordia, et uiuorum consentiens uox, et Crellii testamentum planum facit, quo eum scripsit heredem fiduciarium, atque, ut uoluntas suprema rata fieret, illius fidei commisit. In iudicis officio nihil est, quod hic iusti propugnator atque aequi omiserit. Omnes certe uirtutes, quas Zieglerus in dicastice, grauitate magna dicendi, inculcauit, prae se tulit, omnia uitia, ab eodem reprehensa, detestatus. Quis illo uim legum ac potestatem cognouit accuratius, quis rationes factorum sagacius excussit, quis pro iniustitia alacrius uigilauit. In primis autem me permouet illius abstinentia, qua



qua se corrumpi muneribus passus non est, quamvis iis saepe tentaretur. Namque magnitudinem animi Epaminondae induit (Nep. c. 4.) nihil opus pecunia esse, arbitrati, quod partes aut iusta uelint, aut iniusta. Si haec, non habere istas auri argentique satis ad excoecandam mentem. Sin illa, quod officii necessitas iniungat, sine turpi largitione se facturum. Quod igitur Ouidius de se praedicat, iure potiori in Chladenius cadit, res quoque priuatas sine crimine iudicem se statuisse, deque sua fide partem quoque uictam fateri consuesse. Nunquam personam spectauit, sed causam, et, quem ad modum nullius potentiam timuit, sic homines conditionis infimae aequalitate iuris defendit. Adeo praestantibus rebus gestis Dei bonitas gratiam reulit duplici matrimonio, quod, sicut sollicitudines eius admodum minuit, ita consensione animorum, et suauitate consuetudinis, delectationis plurimum attulit. Priorem duxit uxorem Ioannam Sophiam, alteram filiam Clementis, iurium Doctoris, et curiae prouincialis Protonotarii, ingenii elegantia, et uenustate corporis, gratiosissimam, ac recordatione nostra suo iure uenerandam. Equidem miserandam istam urbis huius obfidionem respicio nunquam, quin facilitas impigra in mentem redeat, qua plurimos, e faucibus periculi ereptos, suamque domum, firmitatis causa, tanquam in portum, se conferentes excepit, esurientes refecit ac sitientes, trepidantes summo uitae discrimine ad spem meliorem reuocauit, existimans, nihil se marito gratius facere posse, quam miseris hominibus quauis ratione iuuandis. Tulit hunc alacritatis fructum, ut aedes flammis saeuis non absumerentur, sicut fecunditate connubii ad huius fuit amoenitatem magna facta accessio. Ex illa enim fuit filius susceptus, Ernestus Florens Fridericus, spes unica parentis, gaudiumque intensissimum. Quo maiori contentione genitor in liberalem educationem incubuit, cui natus amore paratissimo atque obsequio paruit, non in hac modo academia formatus, sed etiam Lipsiensi excultus, ut, disputatione de banno contumaciae cum laude non uulgari habita, caeterisque speciminibus ordini Iure consultorum Lipsiensium iam editis, ab summis in iure honoribus proxime absit, magistri honoribus iam obtentis, nihil uehementius dolens, quam patrem his fibulis incrementis superstitem non uixisse. Matrem mortis acerbitas primae eius aetatulae subtraxerat, sed alteram, charitate in se cum germana certantem, prouidum ei numen concessit, Elifabetham Ioannam Charlottam, Meinekenii, consilii aulici Wurtembergici, uiduam, praeclaras sexus sui laudes complexam. In hunc, diuturna corporis imbecillitate laborantem, fide illius ac patientia, Chladenius, comperta, non acquieuit prius, quam eam sociam uitae in omni fortuna comitemque affumeret, quasi tam fidelis adiumenti praesensisset necessitatem. Cuius illum fiduciae non poenituit, siquidem ipsa blando uitae usu secundas res ornauit, alleuauit aduersas, tanta constantia uigilantiaque aegrotis succurrens, ut paucissimas uxores inueniamus pares, superiorem nullam. Quo circa, merito magnis uxoribus sanctissimarum annumerata exemplis, a Plutarcho, Valerio Maximo, aliisque collectis, uelut matrona urbis nostrae primaria, suspicitur. Habetis, *Ciues*, uirtutum summam, quibus doctor uester uirum bonum se cunctis approbavit. Sed earum fuit omnium dux atque altrix pietas in Deum, cunctorum erga ipsum officiorum studiosissima. Cui quantum sit efficaciae tribuendum, Seneca melius perspexisset, si, uitata Deum superstitione, a Deo uero naturam internoisset (ep. LXXVI.) *uirum bonum, concedas necesse est, summae pietatis*



*erga Deos esse. Itaque, quicquid illi acciderit, aequo animo sustinebit. sciet enim, id accidisse lege diuina, qua uniuersa procedunt.* Castiorem Chladi-  
nius religionem coluit, obseruantissimus Lutheri doctrinae, propterea quod,  
sicut publice disputans fuit aliquando professus, Martini praenomen pectus  
perpulsit, a patre ea mente impositum, ut munditiam praeceptorum coetus  
sui atque institutorum sine labe, quoad uiueret, retineret. Quo tulit aegrius  
aetatis libidinem nostrae, e colluione factiōnum omnium ciuitatem Chri-  
sti generalem condendi, et uel nihil credendi, uel ista modo, quae peruer-  
sum finxit ingenium, Deo gratias agens, quod uitae finis instet cum speme-  
lioris aeuī, ab solo Christi merito expectandi, cuius nos fides integra par-  
ticipes reddat. At, multa prius perpeffus molestissimaque, metam laborum  
contigit

A primis quidem temporibus aetatis corpore debiliore cingebatur, hoc  
tamen frugalitate ac temperantia fultit, ut satis diu commoda ualetudine  
frueretur, etsi negotiorum moles saepius alternam requiem abstulit, i repa-  
rantem uires, fessaque membra renouantem. Tandem uertigine capitis ue-  
xatum, quatuor annis ante, resolutio neruorum sic infestauit, ut manum  
dextram cum oculo et lingua agitare non posset, pedibus quoque tumentibus.  
Quae cuncta pericula Boehmeri, Medici, scientia artis atque usu, in-  
dustriaque, nullis difficultatibus defatiganda, nobis spectatissimi, prudentia  
depulit, ac Iuris consultum omnibus charissimum ad muneris partes, bene  
administrandas, reduxit feliciter. Ante biennium uero X. Kal. Octobr. ue-  
hementiores insultus cum doloribus redire, extremae corporis partes rigere,  
ac pedes iterum intumescere, anasarca accedente. Quo in statu fuit annus  
fere consumptus, cum, tumore minuto, in musaeo circumiret, dextraque  
confirmata ad scribendum, aliaque negotia peragenda, uteretur, optimo  
quoque hac conuersione impense laetante. At haec laetitia minus fuit diu-  
turna, quod impetum grauiorem motus fecerant priores, turgescentes par-  
tes in ascitem ueram abierant, ac, neruis de integro resolutis, membra ex-  
trema obstupuerant torpentia. Apta postremo oris apparuerunt, ac pe-  
dum inflammatio gangraenam peperit, quae, paucis post diebus, Virum  
praestantissimum luce priuauit, IV. Non. Mart. huius anni, superatis sexa-  
ginta sex annis, ac mensibus VII.

Maeste uero uirtute Tua, CHLADENI, nullo unquam tempore inter-  
moritura. Corpus quidem Tuum sepulchrum condit, animus autem inter  
coelites, omnibus gaudiis affluentissimus, uiuit. Viuis in animis Coniugis  
moestissimae, ac Filii lugentis, qui amorem Tuum per omnem uitam deside-  
rabunt. Viuis in memoria Patrum Academiae et Ciuium, quos beniuolentia  
atque nauitate Tibi in perpetuum obligasti. Viuis in monumentis ingenii,  
quae, dum suus elegantiori Iuris prudentiae honor stabit, nomen Tuum pos-  
teris prodent. Utinam in successore, quem nos omnes in oculis et uotis  
habemus, peritia, usu fori, rectisque moribus, Tibi aequali, uolente optimo  
Deo ac maxima, quam diuissime reuiuifcas. P. P. Domin. Iubilate  
CICIDCCCLXXXII

Handwritten in blue ink: *Flora 5 197*

Handwritten in blue ink: *X 2372036*

Handwritten in blue ink: *XC*



AK 52. (6)

Za  
5197

# V I R O

MAGNIFICO ILLVSTRI  
CONSULTISSIMOQVE

# ERNESTO MARTINO CHLADENIO

T. SER. ELECT. SAXON. A CONSILIS  
C IVSTITIAE DECRETALIVM PROF. PVBL.  
D. ORDINARIO AC SENIORI SENATVS ECCL.  
ORI CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS  
ASSESSORI PRIMARIO

GNIBVS DE OMNI R. P. MERITIS  
FLORENTISSIMO

H. M. P

DEMIA VITEMBERGENSIS

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

